

pro rata temporis præteriti : ergo a pari, etiamsi moriatur censuista *vitalitius*; nam hæc est tantum differentia inter hos census, quod in priore jus remaneat hæredi ad sortem, in posteriori nullum jus ad sortem supersit, mortuo censuista. Ergo censuista *vitalitius* non debet esse deterioris conditionis, quam censuista *ordinarius*. Ergo in utroque casu pensio habet eandem temporis divisionem; ergo in utroque casu pensio currit, et obvenit censuistæ temporis lapsu. Ergo JANUARIUS, pro rata temporis præteriti, pensionem hæredibus AURELII solvere debet. *Lacroix, n. 1023. — Molina, etc.*

1006. — *R. ad 2^m Quæst. Affirmative.* Etenim census *vitalitius* justus et licitus est, dummodo pro quantitate pensionis habeatur ratio ad ætatem et valetudinem censuistæ. Est enim contractus *aleatorius* qui justus est, dummodo servetur æqualitas inter spem lucri et periculum damni. Theologi *communiter* admittunt, pensionem *ordinarie* non posse se extendere ultra 15 pro centum. Ergo LEONTIA *annosa, et infirmitatibus obruta*, potuit juste accipere 12 pro centum, renuntiando sorti. Est autem casui tribuendum quod adhuc per 30 annos vitam produxerit, dum ANNA præmatura morte perempta est. Hujus igitur hæredes cum patientia vetulam sustineant, et promissam pensionem diligenter solvant.

CASUS XIII.

DE FIDEJUSSIONE.

JOFRIDUS villicationem notabilem a RENATO divite gerendam suscepit ea conditione, ut trium millium francorum cautionem præstaret : cum ipse hanc summam non haberet, fratres suos PETRUM et JACOBUM rogavit, ut pro se fidejubere vellent. Quod ipsi, fratri confidentes, libenter præstiterunt. Verum, successu temporis, JOFRIDUS nedum villicationem industrie gereret, magnas expensas in convivia, in luxum et domus suæ splendorem facere visus est, frustra a fratribus admonitus et correptus. Itaque, cum tempus reddendi rationem villicationis suæ advenisset, *inventus est minus habens*, et quidem sex francorum millibus. Quapropter RENATUS hanc summam a duobus JOFRIDI fratribus repetit. Sed interea infelici casu factum est ut unus ex fratribus, JACOBUS scilicet, propriis debitis solvendis impar evaderet.

HINC :

QUÆR. 1^o *An duo fratres JOFRIDI teneantur pro eo 6,000 francorum solvere?*

2^o *An unus, deficiente altero, integram cautionem in solidum solvere debeat?*

3^o *An uxor, inscio marito, fidejubere queat?*

SOLUTIO :

1007. — *R. ad 1^m Quæst.* Fratres JOFRIDI debitoris, non tenentur ad omnia ejus debita loco ipsius persolvenda, sed tantum ad tria milia francorum. Ratio est, quia fidejussor ad illud tantum obligatur, ad quod nomine

debitoris se obligavit; atqui fidejussores nostri se solum obligaverunt ad cautionem trium millium francorum, quia RENATUS majorem cautionem non postulavit, dum JOFRIDUM in villicationem constituit. Licet igitur JOFRIDUS ipse, contrahendo majora debita, teneatur ad hæc omnia resarcienda, non tamen sequitur quod fidejussores æqualiter teneantur ad totius hujus summæ compensationem, quia ad id nunquam se obligarunt.

1008. — *R. ad 2^m Quæst. Affirm. per se.* Ratio est, quia, quando plures in eadem causa fidejusserunt, singuli *in solidum* tenentur; singuli enim totum rei periculum in se suscipere censentur, siquidem per modum unius sponderunt: hinc, si creditor contra unum jam egit, et nihil obtinuit, quia v. g., solvere nequit, potest ad alium se convertere, et contra eundem agere, ut solvat *in solidum*. *Elbel, n. 703. — Lacroix, l. 3, p. 2, n. 1110.*

Dixi *per se*, quia hæc solutio convenire nequit omnibus casibus. Est enim quam maxime attendendum ad modum quo fidejussionis contractus initus est.

1009. — *R. ad 3^m Quæst.* Uxor fidejubere potest de jure naturali, si bona habeat de quibus disponere possit. Quoad jus positivum, attende ad speciales patriæ tuæ leges. In Gallia non potest *per se* cautio fieri, quia uxor bonorum administrationem nullam habet, nec absque mariti licentia contrahere potest. Sunt tamen casus in quibus uxor fidejubens teneretur in conscientia respondere, saltem mortuo viro, aut facta bonorum separatione, v. g. si mutuuum enixe petendo pro suo marito, debitis oppresso, non potuerit mutuam movere ad sibi credendam pecuniam, nisi ea conditione ut, viro deficiente, ipsa rependeret, et reapse rependere promittat. *Recole dicta de Contractibus in genere, n. 775.*

CASUS XIV.

DE PIGNORE.

PHOTINUS, dives mercator, CLEMENTI mutuo gratuito 300 francos ad triennium tribuerat, catena aurea in pignus ab eo recepta. Attamen hæc lex constituta fuit, scilicet, ut, si CLEMENS, elapso triennio, pignus suum non redimeret, liceret PHOTINO illud justo pretio vendere. Triennio elapso CLEMENS de pignore redimendo altum servat silentium. PHOTINUS per annum adhuc exspectat, et, nec comparente tunc debitore, pignus illud 325 francis vendidit. Tandem adstitit CLEMENS 300 fr. mutuo acceptos referens, pignusque suum repetens. « Pignus autem venditum est, ait PHOTINUS. — Redde igitur pretii excessum, clamat obstupescens debitor; catena enim mea 350 francis valebat, et solum 300 tibi debebam. — Nihil tibi debeo, reponit creditor; catenam enim tuam non nisi 325 fr. veniit; quare 25 franci mihi supersunt præter debiti compensationem, quos teneo, per modum census, intuitu quarti anni, quo volvente, pecunia mea invitus carere debui. »

HINC :

QUÆR. 1^o *An PHOTINUS injuste egerit, pignus, non monito CLEMENTE, vendendo?*

QUÆR. 2° An, intuitu quarti anni quo pecuniis suis caruit, 25 francos retinere potuerit, vel restituere debeat, non quidem 25, sed 50 francos a CLEMENS repetitos?

3° Quid, si nulla facta fuisset mentio de pignore vendendo, et nihilominus a PHOTINO venditum fuisset?

SOLUTIO :

1010. — R. ad 1^m Quæs. Non injuste egit PHOTINUS, pignus vendendo justo pretio, ut supponitur, etiam nulla monitione præmissa, saltem in foro interno. Ratio est, quia CLEMENS fuit in mora culpabili, solutionem differendo; nec erat opus admonitione, quia tempore elapso satis CLEMENS admonebatur.

R. ad 2^m Quæs. 1° PHOTINUS nihil retinere potest vi ipsius mutui, pro quarto anno, quia nulla conventio de hoc præcessit, neque ullam admonitionem debitori fecit; ergo mutuum gratuitum, ut antea, perseverare censetur. Secus vero dicendum foret, si, elapso tertio anno, PHOTINUS debitorem admonuisset, ut vel mutuum restitueret, vel saltem pro eo fenus retribuere; tunc enim contractus novus iniretur, et jam mutuum non esset amplius gratuitum. — 2° Etiam, posita admonitione, PHOTINUS retinere non potuisset 25 francos, sed 15 tantum, scilicet, ratione taxationis legalis, seu feneratoris de quinque pro singulis centenis. — 3° PHOTINUS non tenetur restituere nisi ratione pretii ex justa venditione habiti, non vero ratione æstimationis ab ipso debitore factæ, quia pretium a venditore acceptum vere justum supponitur.

1011. — R. ad 3^m Quæs. In hac hypthesi, adhuc PHOTINUS pignus vendere potuisset, sed tantum præmissa seria admonitione. Ratio est, quia mutuans, elapso contractus termino, non tenetur damnum pati, ut debitorem diu expectet. Quare, si hoc serio admonitus non solvat, in culpabili mora reputabitur. *Elbel, n. 500.*

CASUS XV.

DE ASSECURATIONE.

1° MENESIPPUS, ex Anglia merces expectans, timensque ne in mari pereant, scribit ad GRATIANUM, ut earum specialem curam gerat. Rescribens GRATIANUS se offert ad omne periculum in se suscipiendum, si mille francos sibi solvat. Merces autem decem francorum millibus valebant; ipse vero nonnisi quinque millia possidebat. Merces salvæ advectæ sunt, et GRATIANUS mille francos a MENESIPPO recepit.

2° ARMANDUS, pretio cum ANTONIO statuto, suscepit in se rei alicujus transvehendæ periculum. Porro sciebat ille talia esse rerum adjuncta, ut nullum prorsus periculum subesset. Sed ejus astus alia vice retusus fuit. Etenim, cum alterius rei periculum in se, pro statuto pretio, cum eodem ANTONIO suscepisset, libentissime in id consensum dederat ANTONIUS, quippe qui rem illam jam periisse probe noverat.

HINC :

QUÆR. 1° Quænam conditiones requirantur ad contractum assecurationis?

2° An GRATIANUS, in primo casu, mille francos retinere possit, licet ipse omne damnum reparare non potuisset, si merces in itinere periissent?

3° An justa fuerit duplex assecuratio inter ARMANDUM et ANTONIUM?

SOLUTIO :

1012. — R. ad 1^m Quæs. Conditiones in contractu assecurationis sunt : 1° ut pretium sit periculo proportionatum; 2° ut periculum sit verum et utrique parti æqualiter notum; 3° ut assecurator habeat unde solvere possit *S. Lig. n. 911.*

1013. — R. ad 2^m Quæs. 1° Certum est GRATIANUM graviter peccasse contra justitiam, suscipiendo in se periculum mercium, quæ ex dimidia parte ejus fortunam superabant; suscepit enim obligationem quam adimplere non poterat, et sic injuste adduxit MENESIPPUM ad stipendium assecurationis promittendum. Noluit enim mercator contrahere et mille francos promittere pro assecuratione, nisi certo putaret assecuratorem habere unde pretium mercium solvere posset. — 2° Sed numquid 1,000 francos juste repetere et retinere valet, vel saltem dimidiam illorum partem, vel nihil? Videtur quod dimidiam partem pretii retinere possit, et nihil amplius, quia in casu naufragii pro dimidia parte damni solvisset, seu totam suam fortunam expendisset : ergo videtur justum, ut dimidiam partem stipendii acquirat. Aliqui dicunt GRATIANUM posse totum pretium retinere, quia in casu infortunii multo plus perdidisset; alii contra contendunt eum nihil posse servare, quia contractus est nullus, cum dimidiam tantum partem mercium assecurare potuisset. *Reuter, n. 260.* Hæc de jure naturali. Vide utrum jura locorum privata quidpiam aliud statuunt.

1014. — R. ad 3^m Quæs. Injusta fuit utraque assecuratio in secundo casu relato : 1° Prior quidem justitia caruit, quia ARMANDUS assecurator, sciebat nullum adesse periculum pro merce transvehenda : etenim, si defuit periculum, mercedem accipere non potuit ad rem e periculo salvandam, seu contra periculum assecurandam, cum materia ipsa contractus deficeret. Secus tamen dicendum esset, si assecurator solum ex peritia sua, vel dexteritate, aut singulari industria, vel ob amicos, vel socios, sciat periculum vitare; quia tunc talis securitas, utpote prorsus extraordinaria et industrialis, est ipsi assecutori physice vel moraliter propria, et proinde pretio æstimabilis est. — 2° Posterior justitiæ adversatur. Ratio est, quia, cum ANTONIUS, rei dominus, sciat eam rem jam periisse, obligationem ad aliquid impossibile, ab assecuratore inscio, petit. Ibi quoque materia contractus prorsus deficit, siquidem res non existens assecurari non potest. Ergo in casu est error *substantialis* et *dolus* dans causam contractui; ergo assecurator omnino decipitur; ergo ruit contractus. *Elbel, n. 714.*

CASUS XVI.

HYPOTHECA.

1^o EUSEBIUS, hæres GASPARI factus, cum animadvertisset hæreditatem multis debitis gravari, eam acceptare noluit, nisi sub beneficio legalis inventarii, ita ut ultra vires hæreditatis debita solvere cogi non posset. Accepta autem hæreditate, variis creditoribus chirographariis ex integro satisfecit. Postea vero accedenti HILARIO, creditori hypothecario, et debitu[m] repetenti: « Tardius venis, amice, ait, jam exhausta est tota GASPARI hæreditas in aliis creditoribus debita solvendo. — Pessime egisti, ait HILARIUS, mihi creditori *hypothecario* jus prælationis debebatur; itaque propriis bonis respondere debes. »

2^o BARBERINUS et BARBERIUS, creditores ANTONII, in omnia ejus bona hypothecam acceperant; FLORUS et FLORINUS tantum chirographum, debiti sui probandi gratia, tenebant. Mortuo ANTONIO, PHILO ejus hæres institutus, ignota debitorum quantitate, seclusoque inventario, adit hæreditatem. Accedunt statim duo creditores hypothecarii, solutionem debitorum repetentes. Sed, exhausta jam tota hæreditate, non plenam adhuc obtinent satisfactionem. Hinc debita superflua, jure prælationis, ante creditores chirographarios ex bonis hæredis propriis sibi persolvi postulant.

HINC :

QUÆR. 1^o An EUSEBIUS, in primo casu, HILARIO ex propriis bonis satisfacere debeat?

2^o An hæredes hypothecarii, in secundo casu, sint aliis jure potiores, non solum quoad bona defuncti hypothecarii, sed etiam quoad bona hæredis?

3^o An hæres, omisso inventario, teneatur ex propriis bonis creditoribus satisfacere, etiam in foro conscientie?

SOLUTIO :

1015. — R. ad 1^m Quæst. EUSEBIUS ab initio prudenter egerat, hæreditatem GASPARI sub beneficio tantum inventarii legalis acceptando, ne forte ad debita ultra vires hæreditatis solvenda cogeretur. Sed quare vir ille prudens ac solers adeo tardus ocius evasit, ut creditoribus primum obviis satisfaceret, quin inquireret num alii creditores potiores, seu *privilegiati*, vel *hypothecarii*, forte adessent? Nunc igitur quomodo HILARIUS argumentis repondebit? Hujusmodi argumenta non verbis sed nummis solvuntur. Ergo ex bonis propriis huic creditori hypothecario satisfacere debet, cum *jus strictum prælationis* habuerit, saltem in foro externo. In foro autem interno non erit urgendus, si reapse culpa gravi theologica caruerit.

1016. — R. ad 2^m Quæst. Hæredes hypothecarii non sunt aliis creditoribus jure potiores, nisi ratione hypothecæ. Ergo, exhausta hæreditate quæ hypotheca gravatur, jure prælationis non amplius potiuntur, quia

jam periit privilegii titulus. Ergo haud secus ac alii creditores habendi sunt.

R. ad 3^m Quæst. Hæres qui, omisso legali inventario, adiit hæreditatem, tenetur quidem in foro externo solvere debita testatoris ex propriis bonis, si hæreditas accepta non sufficiat. *Probabilius* vero ad hoc in foro conscientie non tenetur, quia obligari nequit de jure naturali ad solvenda debita testatoris, nisi in quantum beneficium ab eo accepit. Ergo, si debita vires hæreditatis superent, ea exhausta, ad nihil amplius tenetur. V. *Comp. n. 823 et 939.*

CASUS XVII.

SPONSIO 1^o.

NICON novit tres dari candidatos ad aliquod officium, nec dari plures, et proinde unum e tribus eligendum esse, remanente tamen dubio de singulis. Quid tunc NICON? Spondet cum singulis pro 10 francis, quod nullus horum sit officium istud consecuturus. Stante casu, NICON certus est se lucraturum esse præmium cum duobus, licet cum uno sit perditurus, adeoque certus est de lucro viginti fr., dum decem fr. tantum amissurus est. Existimat se posse sponsonem inire, quia de nullo seorsim spectato certitudinem habet. Postea tamen anxius quærit utrum hujusmodi sponso iusta fuerit?

HINC :

QUÆR. An NICON, prout in casu, certare potuerit, et lucrum obtentum retinere valeat?

SOLUTIO :

1017. — R. ad Quæst. *Affirmative*, saltem *probabiliter*, Ratio est, quia hi sunt tres contractus et singuli seorsim justis, stante dubio quoad singulos; contractus autem illi seorsim spectari debent. Etenim unus contractus diversa ratione se habet ad alium, et NICON in singulis contractibus verum subit perendi periculum; siquidem cum singulis certantibus dubius est de eventu. Ergo, sicut potest cum certante quolibet perdere, potest etiam cum quolibet lucrari. Præterea singuli contractus, seorsim spectati, essent liciti: ergo etiam, simul habiti, liciti sunt, quia unus non impedit æquitatem alterius, neque ostendi potest cujus e tribus contrahentibus jus læderetur. *Reuter, n. 261. — Lacroix, l. 2, part. 3, n. 1070, contra Lessium et alios*, qui dicunt contractum sponsonis in hoc casu esse injustum ex parte NICONIS, propter inæqualitatem inter spem lucri et periculum sortis.

CASUS XVIII.

SPONSIO 2^o.

POLIANUS, tempore belli, narrat quamdam civitatem fuisse ab hostibus captam, idque probat ex litteris cujusdam amici sui, sibi fidelissimi. LUCAS id audiens assertum negat, et velut meram fabulam habendum esse exis-

timat, contenditque etiam ex litteris acceptis civitatem illam ne quidem ab hostili exercitu cinctam esse, imo nullum militem ad eam pervenisse. Factum confirmat POLIANUS, negat vice sua LUCAS; producitur hinc et inde contentio et disputatio. Tandem contententes ad sponsonem deveniunt, ut litem inter se exortam dirimant. « Spondeo, clamat POLIANUS, pro decem francis civitatem ab hostibus fuisse captam. — Et ego, reponit reboando LUCAS, spondeo illam ne cinctam quidem esse; et, nisi verum affirmavero, tibi quindecim francos erogabo. » Sponsonem hac coram pluribus testibus facta, ad rei veritatem detegendam deventum fuit; quid vero compertum est? Civitatem, tempore sponsonis factæ, fuisse quidem ab hostibus obsidione cinctam, nondum tamen devictam neque captam.

HINC :

QUÆR. *Quid sentiendum de sponsonem, vel ad quid teneantur sponsores, cum neuter veritatem assecutus fuerit; seu, an uterque ad solvendum obligetur, aut nullus obligatione teneatur?*

SOLUTIO :

1018. — *R. ad Quæs.* Uterque in rigore juris tenetur solvere id quod alteri promisit : scilicet, prior tenetur decem francos, et posterior quindecim adversario erogare. Ratio hujus decisionis facile patet : etenim POLIANUS spondit se perditurum decem francos, nisi civitas jam esset ab hostibus capta, et LUCAS spondit quindecim francos, si eadem civitas esset jam ab hostili exercitu circumdata; atqui, tempore sponsonis factæ, civitas illa fuit quidem ab hostibus circumdata, sed nondum capta : ergo uterque certans erravit; ergo uterque alteri id quod promisit solvere debet. Ergo POLIANUS LUCÆ decem francos, et LUCAS vice sua quindecim adversario tribuere debet. Ratio præcipua hujus decisionis ex hoc desumitur, quod omnis contractus conditionatus, adimpleta conditione, transit in absolutum; atqui POLIANUS spondit se daturum esse decem francos LUCÆ, si urbs prædicta non esset capta ab hostibus; e contrario LUCAS spondit se daturum esse POLIANO quindecim francos, si eadem civitas foret saltem hostili obsidione cincta : ergo, cum tempore sponsonis hæc civitas fuerit quidem cincta nondum tamen capta, comperta rei veritate, promissio conditionata transit in absolutam; ergo quisque promissum suum adimplere debet. *Elbel, n. 638.*

1019. — *Dixi : in rigore juris; nam secus dicendum foret, si talis sponsonem non censeatur facta serio, sed joci causa prout in praxi sæpissime fieri solet, præsertim inter amicos et familiares, qui advertendo nec unum nec alterum attigisse veritatem, totum contractum sponsonem cum risu solvere solent; aut si serio intenderant spondere, postea animadvertentes se errasse a veritate, ita ut neuter eam attigerit, sponte cedunt, et obligationem sibi remittunt.* *Elbel, n. 639.*

CASUS XIX.

SPONSIO 3°.

MIROCLES contendit cum MARIO se cursu velociorem esse. Vice sua, MARIUS asserit se victoriam esse consecuturum, si res probetur. Igitur sponsonem hinc et inde committitur, et decem franci ex utraque parte victori promittuntur. Verum postea MIROCLES recusat experimentum facere. MARIUS proinde victoriæ præmium reclamatur; sed surdo canit. Negat MIROCLES illum jus ad lucrum habere, cum certamen commissum non fuerit.

HINC :

QUÆR. *An MIROCLES decem francos, aut saltem aliquid adversario solvere teneatur?*

SOLUTIO :

1020. *R. ad Quæs. Affirmative.* Ratio est, quia, inito contractu, MIROCLES tenetur ad periculum subeundum, vel ad satisfaciendum MARIO, saltem secundum spem lucri quam habebat. Etenim MIROCLES non stat in contractu oneroso, cujus obligationem suscepit; quodnam enim fuit contractus objectum? Victoria cursu referenda. Porro qui contraxit cursu vincere, eo ipso promisit se cursurum

Attamen, cum spes lucri non tanti aestimari soleat a prudentibus quanti lucrum in re, satisfaciendum est *pro rata spei duntaxat*, juxta arbitrium viri prudentis. *Lacroix, l. 3, part. 2, n. 1071. — Elbel, n. 640. — Azor. — Bonacina, etc.*

CASUS XX.

DE LUDO 1°.

1° QUIRINUS, aleis ludendo cum LAZARO, sortem sibi adversam expertus est. Completo autem ludo, solvere pecuniam promissam abnuit, dicens se non habuisse intentionem aliquid solvendi. Igitur lis inter utrumque inducitur.

2° PIBERTUS ludo se committens cum OCTAVIO, filiofamilias *minori*, una die 20 francos amittit; altero vero die adversarium sollicitat ad ludum iterandum, et hac vice 40 fr. lucratus est.

HINC :

QUÆR. 1° *An QUIRINUS teneatur solvere pecuniam quam perdidit, licet animum solvendi non habuerit?*

2° *An PIBERTUS retinere possit lucrum quod percepit, cum OCTAVIO ludendo?*

SOLUTIO :

1021. — *R. ad 1^m Quæs. Affirmative.* Ratio est, quia, licet QUIRINUS non habuerit intentionem se obligandi, solvere tamen tenetur vi contractus innominati, qui dicitur : *Do, ut des.* Etenim LAZARUS supponitur vere